

- tuor ad instantiam Promotoris Fiscalis Curie Archiepiscopalis Firmans die 19. Aprilis 1731. contra Collegiatam Murri Vallis propositis dubiis, nempe: I. An beneficia, quae sunt ad collationem Capituli Firmiani, praeter solutionem census, quam ei facere solent, teneantur etiam solvere Cathedralicum Reverendissimo Archiepiscopo? II. An capella, & confraternitates laicales teneantur solvere Cathedralicum? III. An Cathedralicum jam in certa summa taxatum, & solvi consuetum, poterit augeri? IV. An augmentum hactenus exactum veniat restituendum? *Responsum fuit:* Ad I. affirmative. Ad II. Capellanas, & Confraternitates laicales non teneri. Ad III. Negative. Ad IV. Affirmative. Quatuor etiam alii propositis contra Collegiatam S. Elpidii, nimirum: I. An Capitulares, & Beneficiati S. Elpidii, quatenus habeant praebendas distinctas a massa communi, teneantur solvere Cathedralicum pro qualibet eorum praebenda ultra Cathedralicum in communi? II. An antiqua, seu potius nova taxa Cathedralici etiam quoad beneficia extra gremium dictae collegiatæ, & loca pia dictæ terræ, sit exequenda? III. An beneficia, & loca pia de preterito non taxata pro Cathedralico teneantur imposterum illud solvere, & ad cuius taxæ rationem? IV. An constat de attentatis? *Responsum fuit:* Ad I. Negative. Ad II. Antiquam taxam esse servandam. Ad III. Ad mentem, quae fuit, ut servetur dispositio Concilii Romani. Ad IV. Negative. *Ac deinde de reposita causa die 5. Octobris ejusdem ann. 1731. rescriptum fuit:* In decisio in omnibus, & amplius. *Et tandem in dict. Firmana Cathedralici die 24. Junii 1734. propositis hinc tribus dubiis:* I. An beneficia, quorum redditus non excedunt annua scuta 15. deductis oneribus teneantur solvere Cathedralicum, & in qua summa in casu? II. An Confraternitates erectæ auctoritate ordinaria, & habentes propriam ecclesiam teneantur solvere Cathedralicum in casu? III. An ad solutionem Cathedralici teneantur etiam Confraternitates non habentes propriam ecclesiam, sed simpliciter tantum capellam in honorem Sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ in casu? *Responsum fuit:* Ad I. & II. Affirmative. Ad III. Negative, & amplius. 14. Taxa Innocentiana est omnino servanda. Propositis enim inter alia duobus sequentibus dubiis: XII. An constat de inobstantia taxæ Innocentianæ in curia episcopali Alexani quoad collationem beneficiorum, Ordinum, executionem dispensationum matrimonialium? & quatenus affirmative. XIII. An, & quas poenas incurrerint Episcopus, ejusque officiales in casu, &c. *Sacr. Congreg. Concilii in Alexanen. die 1. Sept. 1742. Respondit:* Ad XII. Episcopus sedulo invigilet, ut taxa Innocentiana omnino servetur; & quoad preteritum consulat conscientiae suae. 15. Possunt Episcopi taxare stipendium pro missis tum in synodo, tum extra synodum; Amostaz de causis piis lib. 2. cap. 4. n. 6. & seq. Romaguer. ad const. synod. Gerund. lib. 3. tit. 17. cap. 18. n. 5. & plur. seq. 16. Nota tamen, quod non possunt Episcopi stipendium taxare negative, ut nec sit majus, nec minus, & ita ut libere non dari possit in quacumque quantitate, & libere in quacumque quantitate recipi; Passerin. de stat. domini. quest. 178. art. 4. à num. 494. & maxime num. 397. Giballin. de Simon. quest. 18. conseq. 7. n. 5. 17. In taxando vero hoc stipendio attendendæ sunt circumstantiæ loci & temporis, & qualitatiss missarum, quum majus stipendium sit taxandum pro una missa, quum pro alia, nempe pro solemnibus. Confer præter allegatos Cortiad. decis. 244. n. 12. part. 4. 18. Taxato ab Episcopo stipendio, teneatur ad illud etiam laici, ita ut in foro possint conveniri; Tancred. cons. 59. n. 24. Romaguer. ad const. synod. Gerund. lib. 3. tit. 17. cap. 18. n. 10. 19. A Potestate seculari taxari minime potest hoc stipendium; Amostaz. de causis piis lib. 2. cap. 4. num. 13. Cortiad. dec. 244. n. 13. part. 4. Num pro exequiis & sepulturis sint debita aliqua

emolumenta, possintque ea taxari ab Episcopo, vide Romaguer. ad synod. Gerund. lib. 3. tit. 19. cap. 4. n. 48. ubi an taxæ huius stare teneantur Laici, ac Clerici, pariterque Regulares exempti. 13

Responsio Auctoris.

Circa ea, quæ hic adducuntur præsertim num. 16. recolenda sunt, quæ jam tradidi ego in verb. Eleemosyna num. 65. nempe: Eleemosyna pro unaquaque missa manuali non potest tradi minor uho julio. Sic expresse statutum est de mandato Clementis XI. die 23. Decembris 1706. ut patet in ejus specialibus Bullariis, Edicto XII. Et sic etiam statuit Sac. Congreg. Concil. 13. Aprilis 1726. Unde Episcopus statueret potest, ne Sacerdotes recipiant quid minus eleemosynæ taxata; Sac. Congreg. Concil. in S. Scerini eleemosynæ Missarum, 16. Julii 1697. & in Alexanen. 26. Januar. 1743. Et id habetur etiam in notificatione super eleemosynæ missæ edita à Card. Lambertino, deinde Benedicto XIV. qui insuper plurima tradit ad rem in suo egregio Opere de synodo diocæ. lib. 5. cap. 8. & lib. 13. cap. 25. merito ibi videnda, & observanda.

TEMERARIA PROPOSITIO.

Vide verb. Propositiones damnatæ num. 36.

TEMPERANTIA.

Vide verb. Virtus num. 120.

TEMPLA GENTILIUM.

In templis, festivitatibus, & sacrificiis Gentilium, seu Infidelium, prohibentur Christiani tibicibus, musicis instrumentis, aliisque modis operam ipsis præstare, seu inseruire; Bened. XIV. tom. 1. const. 107. inc. Omnium sollicitudinum: ubi plurima alia ad rem merito observanda.

TERRACONENSE CONCILIUM.

TERRACONENSE Concilium Provinciale festorum dierum imminuendorum methodum excogitavit, quæ à Benedicto XIII. approbatur, nimirum, ut omnibus diebus Dominicis, aliisque solemnioribus festis, fideles missæ intersint, & ab operibus servilibus abstant; In aliis vero missam audiant, sed operibus servilibus navare possint; Sic tradit Benedict. XIV. tom. 2. Bullar. const. 62. incip. Non multi menses: Qui eandem methodum sequitur in concedendis hujusmodi imminutionibus Indultis, ibid. & const. 65. incip. Cum sciat: & tom. 1. const. 62. pariter incip. Cum sciat: & sæpe alibi, ut ibi videri potest. * verb. Festa.

TERRITORIUM SEPARATUM.

TERRITORIUM separatum importat jurisdictionem in Clerum, & populum, in Ecclesias, & loca; Benedict. XIV. tom. 1. const. 76. incip. Apostolicæ servitutis §. 6. Territorium autem separatum Prælati inferiori competere non censetur in loco intra certam diocæsim existente, nisi constet de privilegio Apostolico, aut de immemorabili consuetudine; Idem tom. 2. const.

titut. 33. incipient. Inter multæ: Territorii separati jura ex mera denominatione Nullius Diocæsis non probantur; Item ibid. *

TERTIARIUM, TERTIARIE.

TERTIARIUM, & Tertiarie habentes requisita constitutionis Leonis X. & decreti generalis infra ponendi Sacræ Congregationis Episc. & Reg. innovantis, & confirmantis ad id decreta Sacræ Cong. Concilii, gaudent privilegiis, quibus gaudent Fratres Ordinis, cujus regulæ habitum gestant; Communis, ex repetitis declarationibus Sacrarum Congregationum, scilicet Concilii, tum Episcop. & Regular. tum Immunitatis; ut abunde in cursu patebit.

Requisita autem ex constit. Leonis X. incip. Dum intra: edita in Concilio Lateranensi sess. 24. pro Tertiaris viris sunt, quod collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent; ibi: Collegialiter autem viventes, seu cum claustralibus habitantes; & pro Tertiaris mulieribus, ut ibi sequitur: Ac mulieres virginalem seu coelibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes, privilegiis, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiarie Regulæ habitum gestant, gaudere debeant. Et in alia constitutione incip. Nuper in Concilio Lateranensi edita die 11. Martii 1518. sic declarat: Nos ad tollendum omnino dubium, motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, harum serie decernimus, & declaramus, quod in præmissis de voto solemnium Religionis minime intelligi debet, ita ut mulieres virginalem, seu coelibem vitam simpliciter viventes, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, & privilegiis, & immunitatibus prædictis in omnibus, & per omnia frui, & gaudere debeant.

Supradictæ Pontificæ dispositioni inherendo Sacræ Congreg. Episc. & Reg. sub die 20. Decembris 1616. innovans, & confirmans decreta Sacræ Cong. Concilii ad id edita statuit, ut sequitur.

Sacræ Congregatio Cardinalium negotiis Episc. & Regular. præposita ad tollendas omnes contentiones inter Episcopos, & Superiores Regulares super Immunitate, & exemptione tertiariorum, quæ in privatis domibus, vulgo Bizzoche, seu alio quovis nomine nuncupatarum, in primis, & ante omnia in memoriam revocata, quæ Sacra Congregatio Concilii in eadem sententia respondit, videlicet.

§. 1. Sacra Congreg. Cardin. Concilii Tridentini Interpretum sæpius respondit, minime posse Sacerdotes Regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de poenitentia, vel Bizzoche vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad confessiones personarum secularium audiendas; quemadmodum nec posse illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis SS. D. Nostri Jesu Christi.

§. 2. Verum quoad sepulturam, atque alia privilegia, Fratres Tertiariorum, Mantellatos, Corrigeatos, aliosque similes, ita demum Ordinis, cujus Tertiarie Regulæ habitum assumpserunt, privilegiis potiri, & ab Ordinarii jurisdictione exemptos esse, si viri collegialiter vivant, aut cum claustralibus habitent, mulieres virginalem, seu coelibem, aut castam vidualem expresso voto, & sub habitu vitam traxerint, quemadmodum cavetur const. Conc. Lateran. sub Leone X. quæ habetur sess. 21. in fine.

§. 3. Hoc autem voto mulierum alia duo, scilicet paupertatis, & obedientiæ nequaquam includi; quinimo hujusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut coelibem simpliciter, & expresse voverint, etiam in consanguineorum, & affinium suorum, aut propriis domibus, vel seorsim habitantes, supradictis privilegiis Ordinis, cujus Tertiarie Regulæ habitum deferunt, exemptionemque ab Ordinarii jurisdictione frui debere, ut

idem Leo postea declaravit const. edita 1. Martii 1518. §. 4. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiaris concurrant, Ordinarii loci esse judicium. §. 5. Præterea si contingat aliquas ex prædictis Tertiaris sine sepultura electione decedere, eas sic decedentes, ita demum in ecclesiis Ordinis, cujus habitum assumpserunt, sepeliri debeat, si in ipsis eorum communis sepultura reperiatur; sin minus in ecclesiis parochialibus sepelendas esse decernit.

Superioribus autem Regularibus sufficienti facultate ad id à Sancta Sede Apostolica suffultis (Capucinis exceptis) libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere, non autem ad habitum admittendas, & recipiendas esse, nisi probatæ vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde sufficienter vivere possint, & non cum aliis viris, quam consanguineis, vel affinis in primo tantum gradu sibi conjunctis cohærent, & ab Ordinarii loci licentia prius impetrata; qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligenti sibi commiserit.

§. 6. Verum in hujusmodi habitu concedendo, & respectivo deferendo, omnino à velo supra caput, quod Superjectum vocant, & à pectorali, quod vulgo dicitur Sottogola, & à patientia abstinendum esse; quinimo eas, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum de defectu comprehensæ fuerint, illa dimittere etiam per censuras ecclesiasticas ab Ordinarii locorum compellendas esse decernit.

§. 7. Supradictis vero decretis mulieres Tertii Ordinis, quæ collegialiter vivunt, non comprehenduntur, quinimo eas dispositioni constitutionis Pii V. editæ Romæ anno 1596. 4. Kalend. Julii, quæ incip. Curia Pastoralis: &c. penitus subjacere expresse declaravit. Non obstantibus quibuscumque in contrarium factis. Dat. Romæ 20. Decembris 1616. Ex quibus clare patet, quod soli illi Tertiarie viri gaudent privilegiis sui Ordinis, & exemptione ab Ordinarii jurisdictione, qui collegialiter vivunt; id est, qui vivunt in aliqua communi domo in seculo, aut collegio sub habitu; & Regula Tertiariorum approbata à S. Sede, aut cum claustralibus habitant, id est, qui sub dicto habitu, & regula Tertiariorum morantur intra septa sub obedientia Superioris sui Religionis, ut recte explicant Donatus præf. Regular. tom. 2. tract. 17. quest. 3. n. 2. & 3. & alii passim id aperte colligentes ex verbis citatæ const. Leonis X. incip. Dum intra: & ex verbis adducti decreti §. 2.

Item ex suprapositis clare patet, quod solæ illæ Tertiarie mulieres gaudent dictis privilegiis, & exemptione, quæ virginalem, seu coelibem, aut castam vidualem vitam ducunt in domibus suis, aut suorum consanguineorum, vel affinium, facta tamen prius voto simplici in manu sui Superioris de servando vitam coelibem, aut castitatem vidualem sub habitu, & regula proprii Ordinis; Non autem ad id requiritur, quod dictæ Tertiarie, Bizzoche, seu Pizzoche, Mantellate, Corrigeate, aliaque similes collegialiter, ut Tertiarie viri, vivant, aut cum claustralibus habitent, ut recte notat Donatus loc. cit. n. 4. & alii passim id clare desumentes ex verbis expressis citatæ const. Leonis X. inc. Dum intra: & cit. alterius constitutionis ejusdem Pontificis incip. Nuper in Concilio Lateranensi. & ex verbis adducti decreti §. 2. & 3.

Ut prædictæ Tertiarie gaudeant omnino privilegiis sui Ordinis, & exemptione ab Ordinarii jurisdictione, requiritur etiam, quod à Superioribus Regularibus recipiantur, & admittantur ad habitum de expressa licentia Ordinarii loci, & sint in ætate quadraginta annorum, probatæ vitæ, ac bonis moribus præditæ, & habeant de proprio, unde sufficienter vivere possint, & non cum aliis viris, quam cum consanguineis, vel affinis in primo tantum gradu sibi conjunctis, cohærent; Sic expresse statuitur in adducto decreto §. 5. verb. Superioribus autem: An

An autem predicta qualitates in hujusmodi Tertiaris concurrant, spectat ad Ordinarium loci id declarare; Sic expresse cit. decret. §. 4. vide supra.

Unde ad id Monacell. tom. 1. tit. 6. form. 14. n. 1. Card. Petra tom. 4. comm. ad constit. 15. Martini V. n. 21. tradunt sequentem formulam:

Dilectis Nobis in Christo N. Salutem, & benedictionem in Domino.

Ut tu, quæ bonis moribus imbuta, bonæque frugis, ac laudabilis vite existis, in ætate annorum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum fructibus honeste vivere vales, possides, & non cum aliis, quàm cum tuis consanguineis, vel affinis in primo tantum gradu conjuncti habitas, prout hæc omnia nobis prævia informatione constare fecisti, hæbitum Tertii Ordinis S. N. quem postulasti, suscipere possis per R. P. N. Ordinis Provincialem, illum tibi conferendi licentiam, & facultatem concedimus, & imperemur. In quorum &c. Dat. &c. — N. Episcopus N.

An autem si omnia predicta requisita in allato decreto non servantur, professio sit nulla? Variant Doctores; Lezana enim quest. Regul. seu de caribus conscientias ad personas Religiosas utriusque sexus tit. de Tertiaris Regul. eorumque privili. cap. 4. num. 4. & alii dicunt, Professionem adhuc esse validam, ex eo quod in dicto decreto non adsit clausula irritans, nec Sacra Congregatio sua fuerit verbis Non possint admitti nisi &c. sed verbo Non admittantur, & proinde actus admissionis dicendus est illicitus, non autem nullus. De Angelis vero opuscul. de Tertiaris post tract. de expens. & melioram. num. 14. & seq. & alii docent oppositum, ex eo quod requisita sint de forma Professionis, ibi: Et ab Ordinario loci licentia prius impetrata, sicque admittit Superioribus Regularibus alteri habitum ipsis conferendi facultatem, & proinde facit, ut Tertiarie à non habente facultatem habitum obtinerent. At placet sententia, quam docet Card. Petra loc. cit. num. 23. dicens, quod dictum decretum duas habet partes; Unam scilicet de contentis in bulla Leonis X. quoad habitus assumptionem, & votum; quæ cum essentialiter requirantur ad dictam professionem, certum est, quod si unum ex ipsis deficiat, professio sit nulla. Hinc Sac. Congreg. Immun. in Asculana 8. Augusti 1702. de quadam Tertiarie, quæ receperat quidem habitum, sed non emiserat explicitè votum castitatis, licet crederet teneri ad ejus observantiam ex dicto Religiosi tradentis habitum, accusata de Infanticidio, censuit non gaudere privilegio fori; verum dicta Sacra Congreg. supplicavit Sanctissimum pro aliquo commiseratione, ne deveniret ad poenam ultimi supplicii; Sic Card. Petra loc. cit. ex Riccio in Synopsi verb. Tertiarie num. 9. & aliam habet partem de aliis contentis in allato decreto Generali §. 3. verb. Superioribus: quæ non important nullitatem professionis; Unde si aliquod ex ipsis deficiat, adhuc Tertiarie gaudet privilegio; Hinc Sac. Congreg. Immun. in Spoletana 12. Septemb. 1684. de quadam Tertiarie, quæ emiserat quidem professionem, sed solum in anno vigesimo octavo contra allatum decretum requirens retatem quadraginta annorum, censuit hoc non obstante adhuc ipsam gaudere privilegio fori; Sic Card. Petra loc. cit. ex Riccio loc. cit. num. 8.

Tertiarie habentes dicta requisita gaudent privilegio fori, & exemptionis à gabelis; Sic sæpius respondit Sacra Cong. Immun. & signanter in Nicastren. 16. Julii 1616. in Salernit. 29. Maji 1629. & in Interamn. 10. Novemb. 1638. apud Monac. tom. 2. tit. 6. form. 14. n. 1. Etiam votum emisierit post motam litem, ut censuit eadem Sac. Cong. Immun. in dict. Interamensi apud Riccium in Synopsi verb. Tertiarie n. 3. Unde ipsæ uti exemplæ etiam à jurisdictione Ordinarii, ut patet expresse ex §. 3. allati decreti generalis, conveniri debent coram Conservatore illius Ordinis, cujus habitum deserunt, ut recte observat Matthæucci Offic. Curie cap. 52. sub n. 4. vers. Exemptos. Ubi num. 5. ex Ragnan. in cap. Nullus, in foro competent. n. 65. recte subjungit, gaudere etiam privilegio Canonis, ut cum multis censet Card. Petra loc. cit. n. 10.

dere etiam privilegio Canonis, ut cum multis censet Card. Petra loc. cit. n. 10.

Tertiarie, si habeant requisita necessaria constitutionis Leonis X. non sunt molestandæ pro solutione oneris, ut dicitur delle Bocche; Sic Sac. Cong. Immunit. in Firmiana 21. Februar. 1699. lib. 2. Decret. Vallem. pag. 204. apud Riccium loc. cit. n. 4.

Item sunt immunæ à gabelis etiam quoad animalia, quare injungitur Episcopo, ut publice cedulones contra Datarios ob executata earundem animalia; Sacra Congreg. Immun. in Tarentina 27. Martii 1703. lib. 3. Decret. Vallem. pag. 481. apud Ricc. loc. cit. num. 5.

Tertiarie, quæ vivunt in Congregatione absque clausura, non gaudent dictis privilegiis; Card. Petra loc. cit. num. 19. Piasec. in Praxi part. 2. cap. 3. art. 7. num. 13. Matthæuc. loc. cit. num. 6. Nicol. in Florculis verb. Clausura num. 38. & alii passim; Et ratio est, quia ipsæ in allato decreto generali §. 7. ut clare ibi patet, relinquunt prorsus dispositione constitutionis S. Pii V. incipient. Cura Pastoralis officii: ubi Pontifex receptiones, & professiones talium Tertiariorum in Congregatione absque clausura viventium omnino irritat, & annullat, ibi: "Mulieres quoque, quæ Tertiarie, seu de Penitentia dicuntur, cujuscumque fuerint Ordinis, in Congregatione viventes, si & ipsæ professæ fuerint, ita ut solenne votum emisierint, & ad clausuram præcise, ut præmittitur, & ipsæ remaneant. Quod si votum solenne non emisierint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur, & persuadere student, ut illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausura se subjiciant. Quod si recusaverint, & aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalose vivere, severissime puniantur. Ceteris autem omnibus sic absque emissionem professionis, & clausura vivere omnino volentibus, interdicitur, & perpetuo prohibetur, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant: Quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, & illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas facimus, & annullamus." Quod confirmavit Gregorius XIII. constit. incip. Deo Sacris Virginibus.

Et tales Tertiarie posse hoc tempore prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emitant ad formam dictæ Pianæ constitutionis, rescriptis Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Lucen. 22. Januarii 1596. apud Piasec. loc. cit. Matthæuc. loc. cit. num. 6. Card. Petra loc. cit. num. 119. Et de factò Urban. VIII. constit. incipient. Pastoralis Romanis Pontificis: edita sub anno 1630. die 13. Januarii suppressis, & annullavit quamdã Congregationem mulierum, quæ in nonnullis Italia, & Ultramontanis partibus sine ulla Sedis Apostolicæ approbatione ab aliquo anno in unum conveniebant vite religiose ducendæ prætextu, peculiarem, & distinctum habitum deferentes, & multa pia opera peragentes; Unde consimiles Tertiariorum, seu mulierum Congregationes, vel penitus dissolvuntur, vel si tollerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione Ordinarii, ut censuit Sac. Congreg. Concil. 27. Maji 1677. in qua quidem agebatur de Congregatione duodecim mulierum Tertiariorum in oppido Cottuneti emittentium quædam vota castitatis, paupertatis, & obedientie, sed non solennia, & sine clausura; Ideoque proposito dubio: An mulieres hujusmodi subsint visitationi, & correctioni Episcopii? Sacra Congregatio, auditò Procuratore Generali PP. Reformatorum S. Francisci, censuit Affirmative; Et Sac. Congreg. Episcop. & Regul. confirmavit decreta Episcopii facta circa dictas mulieres in Laudensi 27. Junii 1704. Et Sac. Cong. Concilii in eadem 15. Junii 1709. mandavit, ut Episcopus procederet ad visitationem, & correctionem earum; Sic expresse refert Card. Petra loc. cit. num. 20. Vide infra num. 52.

Tertiarie, & Tertiarie habentes requisita constitut. Leonis X. & allati decreti Sacre Congregationis, si decedant non sibi electa sepultura, & in ecclesiis Ordinibus, quibus habitum assumpserunt, communis sepultura per ipsos reperiatur, debent in ipsa sepeliri; aliis sepeliri debent in parochialibus; Sic expresse statuitur in allato decreto, §. 5. Vide supra sub num. 3.

Si Tertiarie post votum castitatis, & professionem emissam, alique requisita servant, contrahant matrimonium, quamvis peccent, ex quo violent suum simplex votum castitatis, tamen matrimonium est validum; Sac. Congreg. Conc. in Marsicana Validitatis matrimonii 10. Aprilis 1660. & jam prius etiam in Tudertina, seu Balneoregine 8. Julii 1648.

Tertiarie, quamvis dicta requisita habeant, acquirere non possunt legatum relictum pro puellis profesuris, quia debet dari iis, quæ profuerint tria vota substantialia, & solennia; Sacra Congreg. Concil. in Brina 8. Junii 1696. apud Monacell. tom. 1. tit. 10. formul. 19. num. 7. Et in terminis Monialium, quæ sunt in Conservatoriis, ut non valeat habere dotes relictas pro Monialibus, censuit Sacra Congreg. Concil. in Spoletana 20. Septemb. 1710. denegando hujusmodi Indultum Conservatorio Pueri Jesu.

Tertiarie utriusque sexus in claustrò non viventes subjiciuntur Parochis quoad Sacramentorum administrationem, nec possunt alteri peccata sua confiteri, quàm Confessorio ab Episcopo approbato; Communis. Sic enim sæpius declaravit Sacra Congreg. Concil. & signanter in Apulana 5. Feb. 1604. in Stagen. 19. Dec. 1620. & in una civitatis Castellæ Dec. 1623. & Sacra Congreg. Episc. & Reg. in cit. decreto generali §. 1. & sæpe alibi.

Tertiarie utriusque sexus non habentes dicta requisita constit. Leonis X. & allati decreti generalis Sacre Congreg. habitantes in propriis domibus, sicut alii laici, non gaudent privilegio fori, nec canonis, nec exemptionis ab oneribus publicis aliorum laicorum; Sic statuit Leo X. in cit. constit. incip. Inter cetera, ibi: "Frates autem, & Sorores Tertii Ordinis, necnon Manellati, Corrigæti, Puzochære, Cordellati, & alii quocumque nomine nuncupati in propriis domiciliis habitantes, sepultura, ubi voluerint, eligere valeant. Sed die Paschalis tantum Eucharistiam, necnon Extremam Unionem, ceteraque ecclesiastica sacramenta (Penitentia sacramentò duntaxat excepto) à proprio Sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt, perferenda teneantur, ac in foro seculari coram Judicibus Secularibus conveniri possint." Et sæpe sæpius decrevit Sacra Congreg. Immun. & signanter in Eugubina 26. Julii 1634. in Forolivien. 22. Nov. 1633. in Polycestren. 19. Julii 1635. in Tricaric. 7. Septemb. 1638. & in Tudertina 20. Decemb. 1667. & novissime in Faventina 13. Maji 1727. & pluries etiam Sac. Congreg. Conc. & Episc. ac Regul. ut refert Ursaya tom. 7. part. 1. discept. 3. à n. 8. cum aliis ibi cit.

Si tamen adsit alicubi consuetudo, ut fruantur privilegiis exemptionum etiam non habentes dicta requisita, talis consuetudo debet servari, ut declaravit Sacra Congreg. Immun. in Polycastren. 25. Decemb. 1636. lib. 3. Decret. Paul. pag. 20. apud Riccium in Synopsi verb. Tertiarie num. 3. ubi sub num. 6. subjungit: Et ubi asseratur contraria consuetudo, nihil innovetur, tam per curiam ecclesiasticam, quàm laicam, donec cognitum sit de tali consuetudine; Sacra Congreg. Immun. in Saanen. 19. Maji 1695. lib. 1. Decret. Valli pag. 188. quem citat & sequitur Card. Petra loc. cit. num. 16.

Tertiarie utriusque sexus ad habitum propriæ Religionis admittent, & recipere possunt omnes Regulares ad id facultatem à Sede Apostolica obinentes, & juxta legitimam consuetudinem cujusvis Ordinis, sive Superiores immediate per se, sive per alios ab ipsis delegatos; Communis.

Deveniendū autem specialiter ad Tertiarie utriusque sexus Ordinis Minorum, varia pro diversitate temporum, locorum, & personarum emanarunt Apostolica decreta, quibus breviter prægratia relicta videndū tum apud Orbem Seraphicum P. de Gubernatis, tum

apud Lantuscum in Theatro Regularium, tum apud Matthæucci Official. Curie cap. 52. tam apud Card. Petram tom. 3. Comment. ad constit. 4. Nicolai IV. & tom. 4. Comment. ad constit. 25. Martini V. tum apud Bullarium Clementis XI. in decretis memorabilibus Sacre Congregationis; Hic solum juxta referre novissimas constitutiones ad id editas à Benedicto XIII.

Et primo refertur ejusdem Benedicti XIII. constit. 6. incip. Paterna Sedis Apostolicæ providentia: edita die 10. Decembr. 1725. in qua sub §. 4. omnia privilegia à Summis Pontificibus Tertio Ordini S. P. Francisci concessa approbantur, & renovantur. Et sub §. 5. declaratur juxta alias Antecessorum Pontificum declarationes, quod triplex Tertiariorum status unum eundem Tertium Ordinem, sanctum, meritum, & verum, non Confraternitatem componit, & denuo Regula confirmatur. Et sub §. 6. Minister Generalis totius Ordinis Minorum, & secundarii Superiores confirmantur in auctoritate supra omnes Tertiarie utriusque sexus. Et sub §. 9. Ministro Generali totius Ordinis injungitur propagatio Tertiariorum utriusque sexus per universum Orbem, eidemque Ministro facultas conceditur statuendi, quæ bonum eorum respiciunt. Et sub numero. 10. declaratur, quod solis Superioribus Minorum de Observantia private ad alios conferri quocumque recipere ad Tertium Ordinem, ejusque Confessarium, & Visitatorem, qui præsideat, & rationes examinet, assignare. Et sub §. 11. declarantur omnia irrita, & mera attentata quocumque ab aliis præter voluntatem dictorum Superiorum de Observantia circa Tertios Ordines istos, aut innovari, aut mandari contingerit. Et insuper declaratur, quod ubi jam est institutus, & fundatus dictus Tertius Ordo, alii fundari minime possint, nec à Conventu, ubi jam fundatus est, possint transferri ad alium dicto Generali Ministro totius Ordinis non subiectum, & quod aliis inter Tertios Ordines approbatos ab Apostolica Sede habendi non sint, nec gaudeant Indulgentiis, & privilegiis Tertio huic Ordini per eandem Sedem Apostolicam impertitis.

Deinde nono Kalendas Junii 1726. idem Benedictus XIII. constit. 17. incip. Ratio Apostolici ministerii: statuit, quod Tertiarie PP. Cappuccinorum ubique existentes, ab eorum Ministro Generali, & non ab alio dependeat, & fruatur omnibus Indulgentiis, & gratiis Tertiaris FF. Minorum concessis.

Et postea die 9. Julii 1726. idem Pontifex Benedictus XIII. constit. 29. incip. Singularis Devotio: decrevit, quod Tertiarie PP. Minorum Conventualium fruatur privilegio, & gratiis spiritualibus, quæ ceteris Tertiaris concessæ fuerunt. Quæ tres tamen constitutiones fuerunt una cum aliis moderatæ, & redactæ ad terminos juris à Clemente XII. constit. incip. Romanus Pontifex:

Ast vero postremo die 21. Junii 1728. idem Benedictus XIII. constit. incip. Dilecti Filii: denuo confirmavit quæ pro Tertiaris Minorum de Observantia in cit. constit. 6. incip. Paterna Sedis Apostolicæ providentia: sancita sunt. Et hic ad uberiorem, & clariorem notitiam dantur præcisa hujus constitutionis verba sub §. Præterea contenta, ibi: "Præterea quascumque Indulgentias, indulta, privilegia, prærogativas, favores, exemptiones, libertates, extensiones, & concessiones, tam in genere, quàm in specie in memorata constitutione, quæ incip. Paterna: Tertiaris Fratrum Minorum de Observantia tributas, & per alias superius indicatas ad Tertiaris Fratrum Minorum Conventualium, & Cappuccinorum, eorumque Superiores extensas, & ampliatas tenore præsentium confirmamus, & approbamus; & quatenus opis sit, ipsis Prætribus Conventualibus, & Cappuccinis, eorumque Tertiaris, in iis tamen, quæ præfatæ nostræ constitutionis pro Observantiam Tertiaris editæ non adversantur, & non aliis, de novo concedimus, mandantes potissimum, ut quæ in ipsa circa erectionem unius duntaxat Congregationis Tertiariorum pro unaquaque civitate, aut loco, deque eorum transitu præ-

scrip-

scripta, & sancta sunt, aliis posterioribus nostris non obstantibus, inviolabiliter observentur. Et hæc postrema constitutio, cum non sit hæcenus revocata, nec moderata, est simpliciter attendenda, & per extensum est adducta sub verb. Religiones Regulares art. 5. n. 55.

Unde expresse patet, quod in quibuscumque civitatibus, aut locis, ubi erectus est, seu fundatus Ordo, seu Congregatio Tertiariorum utriusque sexus à Minoribus de Observantia, non potest amplius erigi, nec fundari à PP. Conventualibus, & PP. Cappuccinis; nec ab ipsis possunt alii ad habitum Tertii Ordinis recipi, & admitti, aliis nullis gauderent indulgentiis, & privilegiis, ut expresse sancitum est in dicta constitutione Paterna. Nota. Attamen quidquid sit de hoc, nunc vide, quæ in tom. 2. sub verb. Cappuccini n. 1. novissime adducta sunt, & conclude sicut ibi.

Tertiarii utriusque sexus Ordinis Minorum, etiam in propriis domibus secularibus habitent, nec habeant requisita constituit. Leonis X. & decreti generalis Sacre Congr. alata supra sub num. 3. gaudent omnibus indulgentiis, quibus gaudent ipsimet FF. Minores, ac Moniales S. Clare; Vid. verb. Indulgentia art. 5. a num. 24. ad 27. ubi multa de plurimis Indulgentiis, quibus fruuntur dicti Tertiarii utriusque sexus, etiam in propriis domibus secularibus habitent.

Dicti tamen Tertiarii Ordinis Minorum, sicuti & ceteri alii, si non habeant præfata requisita const. Leonis X. & decreti generalis Sacre Congreg. non gaudent nec privilegio fori, nec Canonis, nec exemptione aliqua ab oneribus, & muneribus publicis aliorum laicorum, ut patet ex adductis supra num. 22.

Nisi tamen alicubi addeset consuetudo, ut fruere privilegio exemptionum etiam non habentes dicta requisita, ut per allata decreta sub num. 23.

Ad hoc ut Tertiarii utriusque sexus in propriis domibus secularibus degentes gaudeant omnibus Indulgentiis, quibus gaudent ipsimet Fratres Minores, & Moniales S. Clare, sufficit, ut recipient, & deferant habitum juxta morem, & formam, quæ pro diversitate regionum hæcenus ab eisdem Tertiariis servata est; Sic colligitur ex cit. const. Benedicti XIII. inc. Paterna Sedis Apostolicæ providentia: §. 10. ubi expresse conceditur Superioribus nostri Ordinis Utriusque sexus Christifidelibus juxta morem dicti Ordinis recipere; quæ constitutio confirmata est in citata alia ejusdem Pontificis incip. Dilecti Filii: quæ hæcenus nec est revocata, nec moderata; Item ex ejusmodi Benedicti XIII. const. in c. Pretiosus §. 5. ibi: Retineri tamen posse habitum formam, quæ pro Regionum diversitate hæcenus ab eisdem Tertiariis servata est; etiam sit parvus habitus, seu parvum scapulare, ut sæpe sæpius ipsum sic appellatur, tum à Sacra Congregatione, tum à Summis Pontificibus, & signanter in causa vertente inter Cappuccinos, & Minores de Observantia regni Sardinia, ubi quærebatur: An Patribus Cappuccinis regni Sardinia liceat dispensare, seu distribuere habitum, seu scapulare parvum cum cingulo S. Francisci? Et Sacra Cong. Episc. & Regul. die 16. Novemb. 1703. respondendo ad quæsitum vocat ipsum scapulare, seu habitum parvum. Quod & confirmant Clemens XI. const. inc. Emanarunt nuper: & Benedictus XIII. const. inc. Ratio Apostolici ministerii: ipsum appellando, ut ipsa Sacra Congregatio, scapulare, seu habitum parvum, sub quo nomine, & modo, sive forma ipsum non vocasset, nec permisisset, si non sufficeret pro lucrando Indulgentiis ipsum recipientibus, & deferentibus concessis. Vide dictam constituit. incip. Apostolici Ministerii: in qua continetur dicta constitutio Clementis, & decretum Sacre Congregationis; Et revera Pater Michael Angelus à Bugliasco in regula Tertii Ordinis Penitentium Seraphici P. Sancti Francisci Typis edita Janua, cap. "Dell' utilità di quest' Ordine de Penitenti pag. 81. sic habet expresse: Porano i Fratelli, e Sorelle di quest' Ordine il Scapulario sotto le vesti cinro al Cordone, il quale se sarà solo un terzo di palmo, come concede Giulio II. avrà le Cordicelle per poterlo cingere.

Tum quia, ut habetur in Compendio privilegio-

rum FF. Minorum, & aliorum Mendicantium, & non Mendicantium ab Alphonso de Casarubios secundò edito, & à P. Hieronymo à Sorbo quibusdam additionibus locupletato sub verb. Tertiarii Fratres, & Sorores §. 29. Innocentius VIII. concessit, ut suscipientes habitum Mantellatorum, sive Mantellatarum Ordinis S. Augustini, licet habitum illum cum licentia Prioris loci non retineant, nec continue deferant, corrigiam tamen retinentes, ac deferentes, eisdem privilegiis, gratiis, Immunitatibus, & Indulgentiis gaudeant, quibus Mantellati, & Mantellatæ gaudent, & gaudere possunt; Unde dicendum est, quod simili modo per viam Communicationis gaudent eisdem Indulgentiis Tertiariorum Ordinis Minorum deferentes cingulum, & insuper ipsum scapulare, seu parvum habitum, ut appellant citati Pontifices, & Sac. Congr. Eo vel maxime, quod Chordigeri lucrari possunt etiam illas Indulgentias, quas Paulus V. concessit omnibus Regularibus, & Indulgentias omnes Fratibus Minoribus directe, & in specie concessas, ut patet ex dictis sub verb. Indulgentia art. 5. num. 30. & 31.

Habitus Tertii Ordinis S. P. N. Francisci non potest conferri nisi à Superioribus Ordinibus, aut ab aliis ab ipsis delegatis: Et nullatenus conferri potest ab aliis Tertiariis, ut referente Ursaya tom. 8. part. 1. discept. 1. decisum fuit à Sac. Congr. Episc. & Regular. in Faventina Superioritatis inter PP. Reformatos Sancti Francisci Faventia, & Tertiarios Sancti Antonii ejusdem Civitatis, in qua die 18. Junii 1717. proposita causa in Congregatione Episcop. & Regul. per Card. Corsinum sub sequentibus quatuor dubiis.

I. An Donatio facta Patribus sustineatur in casu &c.

II. An Tertiarii sint subjeti gubernio spirituali PP. Reformatorum in casu &c.

III. An Tertiarii possint alios admittre ad habitum, eorumque Professiones recipere? Et quatenus Affirmative.

IV. An admissiones ad Habitum, & Professiones hæcenus sequuta in manibus Tertiariorum sustineantur?

Ad I. Responsum fuit Affirmative.

Ad II. Affirmative in concernentibus spiritualia in Ecclesia S. Antonii.

Ad III. Negative.

Ad IV. Pro sanatione.

Tertiarii utriusque sexus post annum integrum probationis, seu novitatus in die recepti, seu suscepti habitus, professionem emittunt in manibus Superioris Ordinis, seu Visitatoris sub hac forma:

«Io Fratello N. o Sorella N. prometto a Dio Onnipotente, ed alla B. Maria sempre Vergine, ed al Beato S. Francesco, ed a tutti i Santi del Cielo, ed a Voi Padre d'osservar tutto il tempo di mia vita la Regola de' Fratris de Penitentia instituita dal P. S. Francesco, e per il Papa Nicolò IV. confermata, ed i Comandamenti di Dio, e di soddisfare come conviene per le transgressioni, che commetterò contro questo modo di vivere, ogni volta che sarò di mandato dal mio Visitatore.»

Et hæc formula professionis est ad tenorem præscripti in capite secundo ejusdem regulæ Tertii Ordinis approbatæ à Nicolao IV. const. incip. Supra montem: ut etiam recte observat Matthæucc. loc. cit. num. 9.

Ex qua formula professionis, & præsertim ex illis verbis, instituita dal Padre S. Francesco, clare stat, dictam regulam Fratrum, & Sororum de Penitentia fuisse à Seraphico nostro P. S. Francisco, Deo inspirante, primo concinnatam, & non à Nicolao IV. ut aliqui non satis de hac re consci existimarunt; Et id expresse assertit Leo X. const. incip. Inter cetera: ubi pluries ait dictam Tertiariorum Regulam fuisse à S. P. Francisco editam, & à Nicolao IV. confirmatam, & approbatam; Quod & assertit Laertius Cherubin. ad constit. 2. Nicolai IV. & 42. Leonis X. Idem ceteris clarius sæpius affirmat Clemens VII. const. incip. Ad uberis fructus: Et jam à sua origine fuit hic tertius Ordo communiter S. Francisci à Summis Pontificibus

appellatus, & uti talis recognitus plurimis privilegiis ornatus, & omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque Prælatibus summe commendatus, ut apparet ex Brevis Gregorii IX. incip. Detestanda humani hostis: Quod & fecit Innocentius IV. Brevis incip. Debemus Nos: alique Summi Pontifices Nicolao IV. antea. Unde Minoritica Religio in Officio ejusdem Seraphici P. S. Francisci à S. Bonaventura præcipue composito, & à S. Romana Ecclesia comprobato, Antiphona tertia ad Laudes solemniter canit: "Tres Ordines hic ordinat; primumque FF. nominat Minorum; pauperumque sit Dominarum mediis; sed Penitentium tertius sexum capit utrumque." Facile tamen crediderim, Nicolao IV. ejusdem Sancti Patris Francisci filium, quædam ex suis inseruisse, aliquid pro temporis, & ipsius Ordinis ratione immutasse; Quorum utrumque ipse Nicolaus IV. non obscure insinuat const. incip. Unigenitus: quam refert Antonius de Sillis lib. de origine, & profectu tertii Ord. tom. 2. pag. 7. & sequitur eruditissimus P. Wadingus tom. 2. Opusculorum B. Franc. in argumento Regule Tertiariorum, sive Fratrum de Penitentia; ubi ante hæc habet.

«Quam (Penitentiam) dum Celestis fervore, & cum multato fructu in multis Italia locis beatus hic Legislator noster prædicaret, sed præcipue in oppido Cannari, quod in Umbria in Valle Spoletana per quatuor millia passuum ab Assisio distat, oppidani omnes, & ex aliis pagis, & civitatibus turmatim ad Virum Dei ejus prædicationis igni sensus, undique confluebant, nullo pavore suspensi, nulla cura distracti, & se nobis penitentia legibus vincere velle significabant Qui ne imbecilles mulieres, & periculosè facile expositas consortium præsidio orbaret, nec homines uxorum licentia, & optata societate privaret, & loca, urbesque penitus depopulari videretur; nec hos in Sanctimoniarum sodalium recipere, nec illas in Sanctimoniarum claustra recludere, consultum judicavit. Unde commune utriusque hoc Institutum præscripsit ad 14. usque plenæ conversionis annum, & Virginei partus 1221. in quo utriusque sexus omne genus, tam secularium, quàm ecclesiasticorum facillime, & sub suavi jugo, sub propriis tectis, propria gaudens hæreditate, Deo inservire, Ordinem sui status firmavit, legibus munivit, & propria regula corroboravit.» Hæc ille.

Unde S. P. N. Franciscus inter omnes Religionum Regularium Fundatores primus, ni dicam unicus, fuit, qui tertium ordinem de Penitentia instituit, cujus exemplum deinde aliæ aliæ præsertim Mendicantes sequute sunt Religiones, ut tradit P. Petrus Antonius de Venetiis in Viridario Seraphico italice impresso tom. 1. part. 1. c. 12. & alii de hac re scribentes. Eumque S. Pater de Penitentia nuncupavit, fortasse, ut placet S. Bonaventura, quia sicut Penitentia est via communis ad cælum, sic Ordo iste, cujuscumque status, & sexus viros, & feminas, & Clericos, & laicos solutos, & ligatos, seu conjugatos amplectitur, ac neminem excludit, omnesque hunc Ordinem ingredi, illumque profiteri possunt, sicut per omnium Penitentium in hoc miraculo Ordine omnibus commodam, omnibusque ab ipso paratam, verificetur universalis prolabantis Ecclesie reparatio sibi à Jesu Christo è cruce pendente miraculose indicta, juxta primam laudem antiphonam in festo ejusdem sacrorum stigmatum à Minoritica Religione à Sede Apostolica comprobata quatuordecim anni consuetam: Crucis vox hunc alloquitur, ter dicens: Tute prepara; Vade Franciscè, repara Domum meam, que labitur. Quapropter Deo grata Sancta Catholica Romana Ecclesia tanto pro beneficio recepto medio Seraphici S. P. N. Francisci, ac trium Sacrorum Ordinum ab ipso institutorum, in Coronatione Summi Pontificis, nullius alterius Sancti canit collectam, præter illam ipsius, tres dumtaxat canendo, primam nempe de Spiritu Sancto, ut eam illuminet, secundam de B. M. V. ut eam protegat, tertiam de S. P. N. Francisco, ut sicut eam casu reparavit, eandem continue sustentet; ut jam adnotavimus sub verb. Papa art. 1. num. 73. & notant passim de hac Coronatione scribentes.

FERRAR. BIBLIOTH. TOM. IX.

Et fuisse vere hunc tertium Ordinem à S. P. N. Francisco institutum, Christus ipse testari voluit mysteriosa illa, ac miraculosa revelatione in monte Alvernæ: facta ipsi apparens in forma Seraphim, terque ei dicens, ut aliquid donaret, ac omnibus nudus Seraphicus Pater, suo in sinu tres aureas monetas miraculose reperiens, easdemque statim ipsi Christo summa cum lætitia elargiens, meruit hæc ab ipso audire: Scias, Franciscè, tres has pretiosissimas monetas mihi elargitas, tres illos esse Ordines à te tanto charitatis, ac pietatis fervore institutos, quorum præmio, ac remuneratione mox te faciam mearum plagarum participem, ut sic te ducem, ac signiferum mee passionis, & crucis constituam. Inde ut ostenderet Christus Dominus, æque sibi gratam fore pretiosam illam auream monetam hujus tertii Ordinis, ac alias duas aliorum duorum Ordinum, sicuti hos duos, ita & istum amplissimis favoribus insignire voluit, tum in ordine Gratia, & Gloria, ipsum ditando innumerabilibus Potestatibus, Imperatoribus, Imperatricibus, Regibus, Reginis, utriusque sexus Ducibus, ac Principibus, Marchionibus, Marchionissis, Comitibus, ac Comitissis, aliisque conspicuis undequaque personis, etiam ecclesiasticis, Episcopis nempe, Archiepiscopis, Patriarchis, Cardinalibus, & insuper etiam pluribus Summis Pontificibus, qui teste Miranda in Regula Tertii Ordinis pag. 340. huic Seraphico Tertio Ordini se adscripserunt, & sub Pontificis vesibus suum sacrum habitum gestaverunt, ut vere, ac jure gloriam possent se esse filios Seraphici Patriarchæ Institutoris. E quibus omnibus supradictis plurimi virtutum laude, miraculorum gratia, & sanctitatis gloria conspicui evasere, ac in dies continue evadunt, ut videre est apud Antonium de Sillis, Wadingum, Mirandam, Petrum Antonium de Venetiis, Chronicas Fratrum Minorum, omnesque de hoc miraculo Tertio Ordine S. P. N. Francisci Scriptores, & Regulæ Expositores, de qua merito potest dicit illud Apostoli ad Galatas cap. 6. num. 16. Quicumque hanc Regulam sequuti fuerint, pax super illos, & misericordia.

Tertiarii utriusque sexus hujus Tertii Ordinis, non obstante supradicta formula emissa professionis, per transgressionem præscriptorum in sua regula, nisi alias ad ea sint obligati ex divinis, vel ecclesiasticis præceptis, nullum committunt peccatum, nec mortale, nec veniale. Et quod nullum incurrant peccatum mortale, habetur expresse decisum à Nicolao IV. in cit. constit. Supra montem: cap. 20. ipsismet Regulæ, ibi: "Ceterum in præmissis omnibus, ad quæ Fratres vestri Ordinis, non ex divinis præceptis, vel statutis tenentur Ecclesie, nullum ipsorum ad culpam mortalem volumus obligare, sed impositam sibi penitentiam pro transgressionis excessu prompta humilitate recipiant, & efficaciter student adimpleri." Item à Leone X. constit. 42. incip. Inter cetera cap. 10. ejusdem Regulæ, ibi: "Omnia, & singula in præsentis regula contenta sunt consilia ad facilius salvandas animas Viatorum, & nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale, nisi humano, vel divino jure aliqui alias esset obligatus. Obligantur tamen fratres, & sorores facere penitentias sibi à Superioribus impositas, quando super hoc requiruntur." Ubi, ut clare vides, hic Pontifex expresse declarat, quod nulla contenta in dicta regula sint obligatoria ad peccatum, nequidem veniale, ibi: Nulla sunt obligatoria ad peccatum mortale, vel veniale.

Hinc, ut recte monent passim Doctores, debent Tertiarii utriusque sexus, antequam professionem emittant, plene instrui à Superioribus, seu Visitatoribus, aut Commissariis specialiter deputatis, quod præfati Pontifices nolunt eos ex vi professionis, & regulæ obligari, nec ad peccatum mortale, nec ad veniale, ne propter ignorantiam, & errorem existiment se ad promissa in vim promissionis sub culpa obligari.

Tertiarii nostri Ordinis in seculo degentes possunt uti nostro Brevariario Franciscano: Vide verb. Officium Divinum art. 3. num. 57. & seq.

Alia ad rem: Vide verb. Eremita d. n. 18. & verb. Religiones Regulares art. 5. a n. 14. verb. Vestis n. 17.

Tertiarii, qui nondum compleverint annum 20. nequeant retineri in Conventibus. Vide verb. Habitus d. num. 33. ad 35.

Additur attendenda peculiaris constitutio Benedicti XIII. incip. Exponi Nobis: edita 30. Septembr. 1729. anno sexto sui Pontificatus, in qua ad instantiam P. F. Bonaventuræ Gervasi Procuratoris Generalis Fratrum Tertii Ordinis Sancti Francisci, ad tollendas quascumque molestias, & vexationes, quas non minus Tertiarum Seculares hujusmodi, quam Minister Generalis, alique Superiores subalterni sibi inferre posse veniunt ab iis locorum Ordinariis, qui dictos Tertiaros seculares suæ obedientiæ subjicere vellent, literas suas anni 1725. 10. Decemb. editas anno secundo, per quas inter alia Tertiarum de Penitentia nuncupati, directioni, curæ, & Regimini Ministri Generalis, ac Superioribus Ordinis S. Francisci de Observantia subijciuntur, seu subjecti declarantur, confirmat ad tenorem constitutionis Clementis VII. incip. Dum uberes fructus: & Pauli III. incip. Ad uberes fructus; in quibus predictus Tertius Ordo admittitur ad participationem privilegiorum quatuor Ordinibus Mendicantibus, & nominatim Ordini Fratrum Minorum S. Francisci à S. Sede concessorum; & hanc participationem in suis literis confirmatam, ad majorem cautelam denuo concedit: & dictas suas literas, quibus prefati Tertiarum curæ, & regimini Ministri Generalis, ac Superiorum Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia subijciuntur, seu subjecti declarantur, ad Tertiaros etiam seculares Tertii Ordinis, ut ejusdem Superiorum directioni, curæ, & regimini pariter subjaceant, Auctoritate Apostolica perpetuo extendit, & ampliat.

Alia ad rem addita, & observanda: Vide constitutionem Clementis XII. incip. Apostolicæ servitutis: constitutionem Benedicti XIV. incip. Emanavit nuper: aliam ejusdem incip. Ad Romanum Pontificem: & adhuc aliam ejusdem incip. Inexhausti Ecclesiæ Thesauri. Et attendenda est sequens resolutio Sacr. Congr. Episc. & Reg. nempe.

In causa Narniensi Juris admittendi, & vestiendi Tertiaros veniente inter Episcopum Narniensem, illiusque Promotorem Fiscalem ex una, & Conventum & Patres Minorum Sancti Francisci Stronconii, illorumque Patrem Procuratorem Generalem ex altera, Partibus, propositum fuit infrascriptum dubium, videlicet.

An liceat Regularibus Observantiæ admittere Tertiaros ad habitum sine votis, irrequirit Ordinario, & an illarum admittio facta irrequirit Episcopo sustineatur in casu?

Sacra Congregatio Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episc. & Regularium præposita, referente Eminentissimo D. Card. Bichi Ponente, Partibus auditis, ac re maturâ discussa ad suprascriptum dubium Respondit: Affirmative, absque tamen ulla exemptione. Romæ 5. Septembris 1738.

Hinc articulo sub num. 16. addendum est, quod excitata controversia inter Episcopum Lunen. Sarzanen. & Tertiaros Ordinis S. Francisci de Observantia collegialiter in Conservatorio Masse viventes sub cura dictorum Patrum, Sacra Congregatio Concilii die 30. Januarii 1723. respondit: Conservatorium esse subiectum omnimodæ jurisdictioni Episcopi, circa tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad dictum Conservatorium. Sic apud Thesaurum Resolutionum Sacræ Congregationis Concilii. tom. 2. in d. Lunen. Sarzanen. Visitationis Sacrorum Liminum. Nec obstat constituti. Benedicti XIII. incip. Paterna Sedis Apostolicæ Prævidentia: edita pro omnimoda exemptione Tertiariorum, & Tertiariorum Ordinis Minorum de Observantia à jurisdictione Ordinariorum, & Parochorum; nec alia ejusdem constitutio incip. Pretiosus: edita pro simili omnimoda exemptione Tertiariorum præclarissimi Ordinis S. P. Domini, in qua §. 53. ita sancivit: Attendentes insuper per annos, ut accepimus, centum, & sexaginta ab edita dicta constitutione S. Pii V. & per

seculum, & ultra post decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium emanatum 20. Decembris 1626. ejusmodi Tertiaros collegialiter viventes pluribus in locis, scientibus, ac tacentibus Ordinariis floruisse, & etiam nunc florere sine clausura, declaramus, volumus, & mandamus, easdem ad nostram absolute teneri, aut esse compellendas; non obstantibus contrariis ordinationibus, etiam Apostolicis, quibus expresse præsentibus derogamus.

Non obstat, inquam, dicta utraque constitutio Benedicti XIII. quia una cum aliis ad favorem Regularium editis ab eodem Pontifice, fuit utraque moderata, & reducta ad terminos juris communis, Concilii Tridentini, & constitutionum Apostolicarum, à Clemente XII. tertio Kalendas Aprilis 1732. constitit. incip. Romanus Pontifex: jam à me ad literam adductam tom. 5. verb. Privilegium art. 3. num. 64. in qua sic habetur: Statuimus, & decernimus, de omnibus, & singulis prædictis literis, & constitutionibus, quæ ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indulgentiis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in iisdem contentis eam deinceps decisionem, ac iudicium, etiam in foro conscientie habendum, quod sive ex jure communi, sive ex Concilio, sive ex decretis, & constitutionibus Apostolicis, sive ex aliis legitime habebatur, antequam eadem literæ, & declarationes ab eodem Benedicto concessæ fuissent, & perinde scilicet ac si illæ non emanasset; ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, ac terminum omnia superius enunciata, omnino reducimus, & reducta esse volumus; ita ut imposterum supra dicti Ordines Regulares earumdem literarum, & constitutionum usu, commode, & effectum penitus carere videberentur intelligantur. Unde, ut videt, & recte tradit Benedictus XIV. volum. 5. notifiar. 17. §. 2. reddit in pristinum iurisdictioni Ordinariorum supra Tertiaros collegialiter viventes, ac si minime emanasset dictæ Benedictinæ Constitutiones, eas à tali jurisdictione exemptas; quæ dicta pristina jurisdictione utens ipse uti vigilantissimus, & zelantissimus Archiepiscopus Bononiensis, uti sibi omnino subjectas eas libere visitavit. Vide ipsum volum. 2. notifiar. 9. & volum. 5. cit. notifiar. 17. §. 2. ubi plurima scite, & erudite suo more adducit ad rem.

Seculares Tertii Ordinis gaudent præcedentia supra quascumque laicales confraternitates. Sic expresse statuit Benedictus XIII. const. incip. Ad nostram Audientiam: Et novissime Benedictus XIV. constituit incip. Emanavit nuper: in qua confirmat etiam decretum Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium ad id editum. Et talis præcedentia eis competit, sive sub propria cruce, sive sub illa FF. incendant. Idem ibid. Eorum habitum esse non solum vestem totalem, sed etiam particularem, scilicet scapulare, & cingulum, expresse declarat. Idem ib. Nova concessio, & præfinitio Indulgentiarum pro fratribus, & sororibus, Tertii Ordinis secularis S. P. N. Francisci Assisiensis facta est novissime ab eodem Benedicto XIV. constitit incip. Ad Romanum Pontificem: Item nova Indulgentiarum concessio pro personis secularibus utriusque sexus, tam Tertio Ordini S. Francisci de Paula adscriptis, quam Chordigeris ejusdem Sancti funiculum benedictum deferentibus, facta est ab eodem constituit incip. Inexhausti: Tertiaros subjectas esse jurisdictioni Parochorum, in quorum Parochiis sine clausura convivunt, censuit Sacra Congregatio Concilii die 26. Aprilis 1749. in Januen. pro Tertiaris incluyti Ordinis S. P. Domini, & confirmavit idem Benedictus XIV. constit. incip. Emanavit nuper: Quæ omnes constitutiones attendende nunc sunt, non attentis amplius aliis, quæ in contrarium jam in Opere his de rebus tradidimus.

Mulieribus Tertiaris non collegialiter viventes non possunt Regulares dare habitum sui Ordinis sine licentia Episcopi Diocesani, cui debent rite probare habere se hoc privilegium Sedis Apostolicæ, feminas illas esse moribus probatas, habere illas ultra annum deci-

mum quartum, tantum possidere de annuis redditibus, ut habeant satis ad alimenta; ac denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum necessariis in primo tantum gradu consanguinitatis, vel affinitatis sibi conjunctis; ut ex decret. Sacr. Congr. in causa Mazzariensi die 10. Maji 1727. De synodo dioces. lib. 7. cap. 41. §. 8.

Tertiariæ non collegialiter viventes excepta Sacræ Congr. Immunitatis opinione gaudent immunitate fori. Vicissim autem Tertiarie in domibus privatis habitantes eodem privilegio non gaudent, ut ex Doctoribus desinitur Inst. eccl. 105. §. 68.

Declaratur, quod Ministro Generali Ordinis S. P. Francisci Cappuccinorum, & secundariis Superioribus ab eo dependentibus, tamquam veris & legitimis filijs ejusdem S. P. Francisci conveniat, & competat in quocumque loco, civitate, provincia, & regno, etiam ubi alii Tertiarum ejusdem Ordinis jam reperitur, erigere, instituire, ac fundare confraternitates. Sic expresse Clemens XII. constit. incip. Apostolicæ servitutis officium: quæ reperitur tum in communi Bullario Romano edito à Hieronymo Mainardo, tum in speciali Bullario ejusdem Ordinis Cappuccinorum. Quæ si habita fuisset antequam editionem promptæ bibliothecæ, certe pro consueta mea ingenuitate fuisset adducta, & uti nunc aliter etiam tunc, juxta ipsam fuisset conclusum. Hinc Tertiarum à Patribus Cappuccinis recepti, & gaudent omnibus gratiis, privilegiis, indulgentiis, & cæc. quæ unquam per Apostolicam Sedem tertio Ordini fuerunt concessa, & erunt deinceps concedenda. Unde non amplius subsistant tradita quoad hoc in verb. Tertiarum, Tertiarie n. 30. per satis de se clarum constitutionem Benedicti XIII. incip. Dilecti Filii: uti reperitur tum in Benedicte, tum in corpore Bullarii Romæ editi typis Hieronymi Mainardi. Posteriora etiam derogat prioribus; L. Nam est novum 26. & L. Sed & posteriores 26. ff. de legibus, cap. Licet 1. de Constit. in 6. (L. 19. tit. 1. p. 1.)

Idem Pontifex Clemens XII. omnibus & singulis personis Tertii Ordinis S. Francisci tam intra, quam extra claustra, sub jurisdictione Ministri Generalis Cappuccinorum degentibus concessit per viam communicationis omnes Indulgentias, quibus fruuntur & gaudent Confratres, & Consortores Confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo. Sic in ejus constit. incip. Sollicitudo Pastoralis Officii:

At dictas Indulgentias Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Tertiaris secularibus Cappuccinis à Clemente XII. per viam communicationis concessas, revocavit Benedictus XIV. const. incip. Romanus Pontifex: quæ extat tum in Bullario ejusdem Pontificis tom. 1. tum in Bullario eorundem Cappuccinorum n. 7. pag. 356.

De argumento hujus articuli plura ad rem disserit P. Gaudentius à Janua de Visitat. tom. 2. cap. 7. dub. 17. sect. 3. in notitia addita de Tertiaris à num. 29. ad plur. sequent. Eum igitur consulte, ubi necessitas exigit.

In quinti tomi fronte additionem ad verbum TERTIARIUM promiseramus. Habes itaque, lector, Instructionem editam à Sacra Congregatione de Propaganda Fide, in qua collectum habes totum id, quod ad Tertiaros pertinet, præsertim pro Sacrarum Missionum regionibus.

Com diuturna experientia Eminentissimi PP. non sine gravi moerore edocui sint, non levia inter Ordinariorum locorum, & Superiores Regularium de Tertiaris, earumque exemptione, ac iuribus in dies oriri dissidia, ea potissimum causa, quod Pontificum constitutiones omnes hac de re non satis sint notæ, ac privilegia à Sede Apostolica Tertio Ordini concessa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perseveret, in locis præsertim Missionum, in quibus pacis, & concordia vinculum inter Clerum Secularem, & Regularem maxime conservatum oportuit ad cavendum à fidelium scandalis, ab infidelium blasphemis, & ab hæreticorum schismaticorumque calumniis, iidem Eminentissimi PP. in Congregatione Generali habita die 4. Augusti Ferrar. Biblioth. Tom. IX.

ti 1762. providere decreverunt instructionem aliquam esse adomandam, in qua exerta veterum decretorum summa, & norma in causis occurrentibus ab omnibus servanda contineretur.

Pro ejus decreti executione, ut ordine procedatur, primo illud oculis habendum, hic non agi de Tertiaris, quæ latini ritus non sint; hujusmodi enim mulieres à Missionariis latinis cujusvis Ordinis, aut Instituti, minime licere ad habitum Tertii Ordinis suscipiendum admitti; quinimmo, & admittæ siquæ fuerint, ab iisdem Missionariis curandum esse, ut quanto magis susceptum habitum deponant sub penis Apostolicæ Sedis arbitrio subeundis, jam declaravit Sacra Congregatio decreto edito in Congregat. Gen. sub die 9. Maji 1757. & à san. mem. Benedicto XIV. approbato, quod sic se habet.

Referente Eminentissimo, & Reverendissimo Domino, Domino Cardinali Tamburino Ponente literas R. P. D. Patriarchæ Catholici Armenorum Ciliciæ, quibus quærebatur, Patres Terræ Sanctæ plures mulieres Armenas ad habitum Tertii Ordinis admittisse, easque insolita in illis regionibus veste indutas habere, aliisque in iisdem literis plane exposita peragere, unde gravia mala, scandala, & incommoda oriebantur, ideo orabat, ut aliquod opportunum remedium adhiberetur: Eminentissimi Patres, re mature perpensa, censuerunt consulendum esse Sanctissimæ, ut præcipiat Patribus Terræ Sanctæ, aliisque Religiosis Viris cujuscumque Ordinis, & Instituti, ne mulieres cujuscumque ritus orientalis admittant ad habitum Tertii Ordinis, vel ad alium quemcumque ejusmodi: admittas vero habitum jam receptum quamprimum deponere, & veste illius regionis, in qua degunt, communi uti omnino curent, sub penis Sanctissimæ sæ benevisis.

Facta autem per R. P. D. Nicolaum Antonelli Secretarium Sanctissimum Domino nostro in audientia eodem die habita de suprascriptis omnibus relatione, Sanctissimæ suæ sententiæ Sacræ Congregationis in omnibus approbavit, eamque servari mandavit sub penis privationis vocis activæ, & passivæ, non obstantibus Apostolicis constitutionibus, statutis, consuetudinibus etiam auctoritate Apostolica confirmatis, aliisque in contrarium quibuscumque Datum Romæ, die, & anno quibus supra.

Cum igitur ad unum latini ritus mulieres Regularium circumscripta facultas intelligatur, pronum est habitum Tertii Ordinis professas duas in classes referre: alteram earum, quæ simul collegialiter vivunt, alteram vero earum, quæ seorsum suis in domibus degunt.

Quoad primas explorata res est, privilegiis Tertii Ordinis minime frui etiam illas, quæ votum simplex castitatis emiserint, nisi vota solemniter nuncuparint, & clausuram sanctæ, religioseque custodiant: Quamvis enim ejusmodi privilegiis olim fruerentur vigore constitutionum Leonis X. quartam altera incip. Dum intra: altera incip. Nuper: ea tamen privilegia discrete revocata leguntur à san. mem. Pio VI. constitutione, quæ incip. Cura Pastoralis Officii: in qua districtius cautum est, ne Tertiaris, quæ vota solemniter non emittunt, & clausuræ lege obstructæ non sunt, usquam collegialiter vivere liceat: Quod etiam à Gregorio XII. plane confirmatum est constitutione, quæ incip. Deo Sacris Virginibus:

Fatendum quidem est his non obstantibus & hætenus fuisse, & adhuc esse Conservatoria quædam, ubi tertiarie collegialiter vivunt, etiamsi nec solemniter vota emittant, nec clausuræ lege teneantur. At cum ea ab Apostolica Sede tolerata, non approbata esse intelligantur, ut religiose domus canonice erectæ haberi non possunt, sed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apostolicæ, & contra decreta Pontificum Pii V. & Gregorii XIII. ideoque certis privilegiis, quæ nonnisi clausis Tertii Ordinis Monasteriis propria sunt, carere omnino necesse est: Quomodo enim Apostolicæ Sedis indulgentiis, & gratiis frui possent; quæ contra

ejusdem Apostolicæ Sedis mentem sine clausura, & votis solemnibus, adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo hujusmodi Tertiarias jurisdictioni Ordinarum integre, solideque deductum est juxta Doctorem omnium sensum, luculentissime docuit san. mem. Benedictus XIV. Institut. Can. 105. num. 76. ac constanti stylo rescribere Sacre Urbis Congregationes, quarum celebriora duo afferre decreta abs re non erit.

Primum nempe Sacre Congregationis Concilii in una Laudem. die 27. Maji 1677. In qua quidem causa, cum de Tertiariis Oppidi Cotonei vota quædam simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ emittentibus, sine solemnitate tamen, & sine clausura, ageretur, proposito Dubio: "An mulieres hujusmodi subsint visitationi, & correctioni Episcopi, Sacra Congregatio, auditu Procuratorum Generalium Patrum Reformatorum Sancti Francisci, sub quo cura vivebant, respondendum censuit Affirmative.

Alterum veto est Sacre Congregationis Concilii in una Lunen. Sarzanen. die 30. Januar. 1723. In qua quidem cum de Mulierum, assumpto habitu Tertii Ordinis S. Francisci, collegialiter in Conservatorio Massæ viventium, exemptione disceptaretur, Sacra Congregatio de more rescripsit: "Conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni Episcopi, citra tamen approbationem Sacre Congreg. quoad dictum Conservatorium." In quo quidem decreto, eodem temporis, ac loci vestigio, quo ejusmodi mulieres subjectæ declarantur omnimodæ jurisdictioni Episcopi, ne probari sub ea forma viderentur hujusmodi Conservatoria, verbis adjectis, *citra approbationem*, solertissime cautum est; adeo Sacre Congregationis mens ab ejusmodi collegiis sine votorum solemnitate, & sine clausuræ lege fundatis vel ipsa specie probandi aliena est.

Disciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII. nonnullis constitutionibus editis, nimirum ea, quæ incipit *Paterna*, altera, quæ incipit *Exponi* nobis: tertia denique, quæ incipit *Præiurur*: quarum dispositione Tertiariæ, quæ sine solemnibus votis, & sine clausuræ lege collegialiter viverent, à jurisdictione Episcoporum subductæ in jurisdictionem, & curam Superiorum Ordinis redierunt. Ad vix defuncto laudato Pontifice, ejus successor Clemens XII. constitutione, quæ incipit *Romanus Pontifex*: sublati iterum ejusmodi gratiæ, & privilegiis, pristinae de Tertiariis Ordinario subjectis disciplinam restituit: in ea quippe sic expresse habetur: "Statuimus, & decernimus de omnibus, & singulis prædictis literis, & constitutionibus, quæ ab eodem Antecessore nostro Benedicto prodierunt, necnon de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, & declarationibus in hisdem contentis, eam deinceps decisionem, ac iudicium etiam in foro conscientie habendum, quod sive ex iure communi, sive ex Concilio, sive ex decretis, & constitutionibus Apostolicis, sive ex aliis legitime habeatur, antequam eadem literæ, & declarationes ab eodem Benedicto concessæ fuissent, perinde scilicet ac si illæ non emanassent; ad quam dispositionem, ejusque pristinum statum, ac terminum omnia superius enuntiatæ omnino reducimus, & reductæ esse volumus; ita ut imposterum supradicti Ordines Regulares earundem literarum, & constitutionum usu, commodo, & effectu penitus carere debere intelligantur: Ex quibus colligitur Benedictus XIV. Institut. Can. 105. num. 76. Reddit in pristinum Ordinariorum jurisdictioni supra Tertiarias collegialiter sine votorum solemnitate, & sine clausuræ lege viventes; eademque de causa ut nobis subjectas eas libere visitavimus."

Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariam classem, quæ seorsim suis in domibus degunt, majoribus privilegiis olim gavisas eas fuisse compertum est, inter quæ præcipua numerantur: 1. privilegium fori, quod tamen locum non habet in locis missionis, ubi vix religio toleratur: 2. ut Patribus illius Ordinis, cujus regulam profitentur, sua peccata in sacramento penitentiae aperire liceret, quamquam ab Ordinario non appro-

batis: 3. ut Communionem Paschalem in eorundem Regularium Ecclesia recipientes, præcepto Ecclesiæ satisfacerent: 4. ut ab illis etiam Viaticum, atque Extremam Unionem in exitu vite possent percipere. Hæc tamen omnia successivis temporibus à Summis Pontificibus, atque à Sacris Cardinalium Congregationibus, pluribus editis constitutionibus, & decretis, penitus sublata, atque ad terminos juris communis redacta sunt: ut late Pagnanus in cap. Omnis num. 64. de Panit. & Remit. ex Sac. Congr. rescripto referi his verbis: "Cum Prætres monasterii Sancti Dominici de Lugo Imol. dicecesis declarari postulassent, an ipsis liceret præsertim ex suis privilegiis audire confessiones virorum, & mulierum professorum Tertii Ordinis Sancti Dominici, eisque in Paschate sacramentum Eucharistiæ ministrare, Viaticum præbere, atque Extremam Unionem ministrare? Sacra Congregatio consideravit, præsupposito, quod hujusmodi professi eodem iure censeantur cum aliis professis Tertii Ordinis Sancti Francisci, de quibus in gloss. in Clem. Cum ex eo de sentent. excommunicat. Eorum non esse aliquam religionem, seu modum quemdam vivendi approbatum à Sede Apostolica, nec dici plene translatos ad Ordinem, ita ut desinant esse de seculo. Cardinal. in Clem. Per litteras n. 9. de Præb. Quod cum ita sit, non magis horum, quam aliorum secularium confessiones prædictos Religiosos audire posse, juxta c. 15. sess. 23. ubi privilegium quibuscumque derogatum est, & amplius derogatio habetur in Bulla Pii IV. revocatoria omnium privilegiorum sub quibusvis formulis in his, quæ Sacro Tridentino Concilio sunt contraria; Ex quo sequitur, tales Religiosos non esse proprios Sacerdotes horum professorum; ac proinde non posse eisdem sacramentum Penitentiae, vel Eucharistiæ in Paschate ministrare, juxta c. Omnis utriusque sexus de Panit. & Remit. idemque juris esse de Viatico: siquidem præcedente confessione exhiberi debet c. 7. de præpar. quæ adhibenda est &c. sess. 13. in decreto de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. De Extrema Unctione non esse iudicium Congregationis, sed tamen constare ejus administrationem, sicut aliorum Sacramentorum, pertinere ad Parochum, de cuius parochia dicuntur esse tales professori, nisi specialiter privilegio sint exempti."

Latus hoc ipsum Benedictus XIV. ex Pontificum constitutionibus inter se collatis, & S. C. decretis deducit Institut. Can. 105. num. 67. & sequent. his verbis: "Si Leonis X. constitutio vim totam, & integram obtineat, hæc Tertiariæ privatim vitam agentes, Episcopi jurisdictione prorsus immunes esse debent: Eos sibi Confessarios eligere possent, qui ad Monialium confessiones non vero secularium excipiendas probantur: Ad Parochiam accedere non tenerent, ut Paschali præcepto satisfacerent: Tandem à Præfectis suis Regularibus Extremam Unionem percipere, & post mortem in Ecclesia sui Ordinis sepeliri iure possent, sed aliter se res habent nam Leonis X. constitutio ad certos quosdam limites redacta fuit à Summis Pontificibus, qui deinde Sedem Apostolicam tenuerunt. Cum hæc mulieres revera non habeantur Regulares, eo quod tribus votis solemnibus non adstringantur, ideo non censentur immunes ullo modo ab Episcopi facultate... Insuper de his mulieribus Tertiariis hæc S. Congregatio Concilii decernit: Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sæpius respondit, minime posse Sacerdotes Regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de penitentia, vel Piscocharas vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad confessiones personarum secularium audiendas, quemadmodum nec posse illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum ministrare in die Paschatis Resurrectionis Sanctissimi Domini nostri Jesu Christi: Item ex epistola Sacre Congregationis pro causis Episcoporum, & Regularium constitutæ ad Episcopum Mutinensem die 17. Junii anno 1639. hæc ipsas Tertiarias sancta deprehenduntur: Circa Tertiariam similiter censuerunt (nempe Cardinales Sacre Congregationis) permissum baud fuisse fratribus ejus-

dem

dem monasterii ob quodcumque privilegium Ordinis administrare ipsi Sacramentum Divinæ Eucharistiæ, & Extremæ Unionis; neque ejus cadaveri domo efferré, indicata funebri pompa sine Parocho, aut sine ipsis licentia: Nam hæc revera ad Parochos pertinent, qui debent assiduo, sed hoc præsertim tempore, cognoscere, juvare, accurato studio fideles sibi traditos instituire: Accedit quod Tertiaria licet huncupatis votis, clausuro tenebatur; sed domui suæ intra Parochi ejusdem ditionem habitabat.

Possunt tamen earum cadavera sepeliri in Ecclesiis sui Ordinis, si locus Tertiaris designatus seorsum existat; sin minus, in parochiali ecclesia, ut ceterarum cadavera, sepelienda sunt.

Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritalibus gratis Ordini adnexis, quem profitentur, statim ac ad habitum Tertii Ordinis, ac ad votum simplicis castitatis à Superioribus Regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apostolicæ Sedis indulto reservari compertum est.

Non tamen ad omne mulierum genus hæc facultas extenditur, sed ad eas dumtaxat, quæ conditiones à Sacris Congregationibus rite præscriptas habuerint: nimirum ut honestis, probisque moribus fulgeant, ut annos quadraginta saltem attingant, ut necessaria ad congruam vitæ sustentationem bona possideant, ut non nisi cum consanguineis, vel affinis in primo gradu cohabitent.

Hujusmodi autem conditionum examen, & iudicium non ad Superiores ipsos Regulares, sed ad locorum Ordinarios pertinere Summi Pontificis decreverunt; adeo ut recte subjicit Benedictus XIV. loc. cit. "Quare si quod proprium est, unicuique tribuatur, ad Præfectum Regularem spectat religiosum habitum his mulieribus impertiri: ad Episcopum vero facultatem tradere, & præscriptas condiciones accurately examine recognoscere."

Hæc omnia, quæ exerte tradit Benedictus XIV. cit. Institut. 105. Sacre Congregationis Episcoporum, & Regularium negotiis præpositæ decreto edito sub die 20. Decembris 1616. dissertissime sancuntur: Sic enim §. 5. "Præterea si contingat aliquas ex prædictis Tertiariis sine sepultura electione decedere, ac sic decedentes ita demum in ecclesiis Ordinis, cujus habitum assumpservunt, sepelire debeant, si in ipsis earum communis sepultura reperiantur; sin minus, in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit: Superioribus autem Regularibus sufficienti facultate ad id à Sancta Sede Apostolica suffultis (Cappuccinis exceptis) libere mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere; non autem ad habitum admittendas, & recipiendas esse, nisi probata vitæ, ac bonis moribus præditas, ac in ætate saltem quadraginta annorum constitutas, quæ de proprio alio habeant unde sufficienter vivere possint, & non solum aliis viris quam consanguineis, vel affinis in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent, & ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de prædictis prævio examine diligentiter sibi constitierit."

Universa hæc iterum à Sacra Congregatione Concilii confirmata sunt; nam Episcopo Mazariæ quæreni anno 1727. "Quænam sint conditiones requisitæ, ut Regulares habentes facultatem dandi habitum dare possint, & an examen dictarum facultatum pertineat ad Episcopum? Sacra Congregatio Concilii respondit: "Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam, examen conditionum quoad mulieres vestiendas, & licentiam vestiendi, pertinere ad Ordinarium, & conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus aliis editis, & hæc decreta esse omnino servanda."

Ad normam hujusce decreti subjecta hæc formula Episcopi uti consuevere, quæ mulieri facultatem assumendi habitum Tertii Ordinis concedere testificantur.

"Dilectæ Nobis in Christo N. salutem, & benedictionem in Domino. Ut tu, quæ bonis moribus im-

munta, bonæque frugis, ac laudabilis vitæ existis, in ætate annorum quadraginta constituta, propria bona, nec quorum fructibus honeste vivere vales, possides, non cum aliis viris, quam cum tuis consanguineis, vel affinis in primo gradu constituis habitas, prout hæc omnia nobis prævia informatione constare fecisti, habitum Tertii Ordinis S. N. quem postulasti, suscipere possis per R. P. N. Ordinis Provinciale, illum tibi conferendi licentiam, & facultatem concedimus, & impertimur." In quorum &c. Datum &c. — N. Episcopus N.

Ex quibus omnibus consequitur, quàm recte Sacra Congregatio de Propaganda Fide in Congregatione particulari habita die 31. Augusti 1761. per modum decreti Generalis servandi in toto Regno Hiberniæ, inter alia rescripsit pro Tertiariis nullo modo licere Regularibus admittere ad habitum, nisi servatis servandis, & de licentia Ordinarii: aliter admissas declaravit, ab Episcopis non esse Tertiarias, nec illis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

Etiamsi vero ejusmodi casus occurrere aliquando possint, in quo potius expedire videatur adolescentulam aliquam rite præscriptas ante præfixam ætatem quodam veluti tegumento securitatis assumpti à periculis liberare, quàm medias inter insidias inermem relinquere: non ideo sequitur, fas esse Superioribus Regularibus sine licentia Episcopi, vel Vicarii Apostolici Puellas ad habitum suscipiendum admittere: Consulant ipsi potius in hujusmodi casibus loci Ordinarios, qui se facilem pro sui prudentia, atque adeo conscientia, motus ipsius periculi gravitate, præbebit. Nec expedit semper in adolescentulis votum castitatis cum habitu susceptione conjungi, quin potius ad ætatem proveciorem quandoque differri; ab ea quippe longius abesse solent illa, sive scandala, quæ ferventiori, quàm prudentiori zelo agitante possunt oriri.

Hæc habet Sacra Congregatio, quo dissidia, ac jurgia hisce rebus imposterum tollantur, iisque sublatis, unitas spiritus, & vinculum pacis inter Operarios Vineæ Domini conservetur: Et ut maxima, quæ in Terris à Domino relicta est, potestate, roborentur SS. D. N. P. CLEMENTI XIII. feliciter regnanti legenda, consideranda, probanda curavit, & idem SS. D. hæc omnia lecta, considerata, probata, auctoritate Apostolica confirmavit.

Confidit in D. J. Sac. Congregat. hinc Superioribus Regularibus ad normam Instructionis hujusce ambulantibus, inde locorum Ordinariis, & Vicariis Apostolicis ad aliorum jura servanda sollicitis, collatis utriusque studiis, illud concordia gluteo coalitura, quo qui ex adverso sunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, & domus Dei, quæ est Ecclesia, ipsa unitate terribilis ut Castorum Acies ordinata, fideles lætitia, Infideles, Hæreticos, Schismaticos rubore suffundat.

Quam Sac. Congregat. Instructionem Sanctissimo Domino nostro CLEMENTI XIII. per me infrascriptum Secretarium ejusdem Sacre Congregationis relatum in audientia habita die 16. Januarii anni 1761. Sanctitas sua benigne in omnibus approbavit, & omnino servari mandavit. Datum ex ædibus Sacre Congregationis die 17. mensis, & anni quibus supra. — M. Marefiscus Secretarius.